



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Evropeae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Anglia

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1671

Capvt XV. Pondo in carcere excipitur in Societatem Thomas Stephani primus Anglorum ex nostris in Indias missus, annos quadraginta sanctè illas excolit. Admotæ ad euertendu[m] Pondo machinæ. Aerumnæ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-10773

muli, infra mediocres habiti, quales erant tunc ferè omnes Angliæ Præfules; & quod peius est vita maculosi, quales eos depingunt Puritani scriptores, & Brunistæ.

Hornus igitur in vado hærens responsionis quâ carebat, & illo in theatro, pudorem ignorantia non ferens, quæstione omiſſa, & velut oëstro actus vindicandæ quam sustinebat dignitatis, extra se abripi, & conuitorum tempestate Pondo interea tranquillum, & silentem fulminare, quibus hic nihilo commotior, eandem illi difficultatem reponere, solutionem eius placidè rogare; idem alij exemplo, animosiores reposcere. Plaudere sibi tacitè Catholici; aduersarij suo Episcopo iam non tacitè indignari: at ille arreptij in morem multis dæmonibus possessi, truncas voces illorum dentibus mandere. Nec itum ulterius in præsens, doctus suo malo Episcopus bimestri carcere maceratos dimisit. Pondo tradidit Iudicibus Laicis, à quibus Londinum transmissus est, ad dicendam causam in supremo Regni tribunali.



Pondo in carcere excipitur in Societatem Thomam Stephani primus Anglorum ex nostris in Indias missus, annos quadraginta sanctè illas excolit. Admotæ ad euertendū Pondo machinæ. Arumnae carceris Vvisbicensis.

CAPVT XV.

DE custodiis variis quas triuit Pondo, & continuato per annos triginta martyrio nonnulla inferiùs; nunc summam votorum impetraturus à Societatis Præposito, Romam destinavit Thomam Stephani quem ante diximus, anno 1575. petens supplex & rogans quod tam pridem, & tantis desiderijs ardebat in filiorum adscribi numerum; nec repulsam mereri quod longinquus ipsique nec visus nec notus peteret cum à Deo ad Societatem nec visam antea nec notam nisi per Stephanum vrgeretur. Nam si libero daretur Angliæ exire, conspectum nisi illic ad illius pedes vt vel infimum exoraret inter nostros locum, tanetsi primum amore in filiis; obedientia in seruis nunquam non sibi esset alterurus; ac si tantum sibi obtingeret boni, vt (quod prope abesse videbatur) pro re Catholica mortem oppeteret, æquum esse vt moriens eius esset, cuius totus in vita fuerat. Legatione hæc Thomam perfunctum fideliter, absit vt dubitem, quod postulaue-

rat

rat Pondo, Stephanus non euicit; sibi cuius eadem erat causa, illud obtinuit, & Octobris vicesimo in S. Andræ probationis domo tyrocinium inchoauit. Verum tertio post anno, extimulatus optior acrius à Pondo, talem eum ac tantum Mercuriano Præposito tam certò ac solidè probauit, vt Calendis Decemb. anni 1578. illum admitteret in Societatem, & corroboraret vnâ per eandem optatissimi nuncij literas ad vtrúmvís aut diuturnum pati, aut citò sed crudeliter mori. Quod illi subinde postea inculcauit, vt in Societatem conscriptus IESV, præeuntem Iesum per quæuis aspera, sua cum cruce sequeretur, vel ad Caluarium si res ferrer, ipsámque adeo ad mortem. Abstineret interea Societatis habitu dum foret in Anglia, & multò magis in carcere; vitæ solùm exemplis, & sanctimonia, mundique contemptu, superiorem se mundo & caducis præferret.

Inexplicabili gaudio Christi militem generosum, expectatæ tam dudum gratiæ aduentus auxit; nec minori arbitror Thomam Stephani Romæ Impetrata indorum Prouincia; nec facilè dixerim Pondone beatorum annorum pro Christo triginta carcere, an quadragenario labore Stephanis. Hanc ille à Deo multa sui maceratione; multis à Mercuriano Generali precibus sortem obtinuit; eò post Philosophiæ studia profectus sexto mense nauigationis Goam applicuit, anni 1580. Septembri mense. Augusto illic prope Goam Salsæ peninsulæ Christianitatem colendam accipit, nec multum abfuit quin ei rigandæ sanguinem priùs quam sudorem daret, vt biennio post Rodolpho Aquaiuæ eiusque sociis quatuor euenit, euidentissimo Christi odio interfectis. Apostolici muneris ærumnosissima opera annorum quadraginta, breuem illi mortem, Deo mutare placuit; semper fuit incolis mirè charius, conditione quàm semel inierat tam iucundè contentus, vt nec aliam optarit vnquam, nec qui præerant ausi sint tam vtili operario Salsæ orbare.

Canaram linguam illic vernaculam in artem redegit, eiusque publico magisterium dedit. Indostanam item quæ cultiorum est, & libros vtraque composuit tanti ad Christianam doctrinam, & pietatem vsus, vt nunc etiam festis post sacrificium diuinum in templis prælegantur.

Obit Goæ anno 1619. septuagenarius, & meritis diues magno Salsætanis sui desiderio relicto à quibus amabatur vt pater, obseruabatur velut Apostolus.

Iam Pondo reuisamus, cui vita, vt indicauimus, tricenarium fuit martyrium, eoque acerbiss, quo ardentius deperibat ad Tibornas furcas Londini illud absolueret, à quibus centies, passu vix vno distans, nunquam potuerat ad promerendas illas pertingere, nempe illi vt aliis quibusdam martyrium defuit, non ipse martyrio.

Sæpe, inquit, ad Sodales scribens variis distractos custodiis, Examen subij Domini Youngis; bis à quinque aut sex Cognitoribus delegatis; semel publicè ductus per medium populum, quod visus essem audaciùs pro fide Catholica respondisse. Inde tanquam damnato carnifex pileum.

& pallium abstulit, quodque mihi æquè vt illi dolebat, caput reliquit; onustum ferro raptauit in carcerem Portæ nouæ, conclamante multitudine *Crucifige*: eò perueneram cum abundè satis, & liberaliter eleemosyna viduæ (tormenti hoc genus est) sum affectus. Decretoriam sententiam quatuor iam horas à meridie expectaram, cum ecce tibi de repente educor, ferro manus & pedes eximuntur, redditur capiti pileus, pallium humeris, mittor ad Collegium Lincolnense quod incolueram, dum Iurisorudentiæ studerem: quinque illic reperio Iudices delegatos, quorum vnus Topcliffus. Iis Regina mandat, me blanditiis, minis, aut quocumque tandem euerterent, cuncta illi in cassum recidère. Contestabantur fidelitatis meæ in Reginam probationes omnes inanès fore, nisi ederem eorum nomina, quibuscum mihi communia erant consilia. Respondi me vtrò paratum ad fidelitatem eorum certam iureiurando sanctè asserendam; cæterum nefas esse hominem Catholicum, & probum, nec genere, nec educatione ignobilem, conscientiæ denique curam aliquam gerentem, amicis, & innocentibus damnum, aut periculum creare, & malè suspecta illorum nomina indicare. Sic frustra tentatum vrbane in carcerem remittunt. Adest biduo post Topcliffus (Catholicorum inimicissimus rabula) & custos carceris, omniq; comitate, dimouere me à proposito satagunt; longa quin etiam altercatione diu mecum argutantur, quod dum frustra fieri intelligunt, causam meam pro desperata, & damnata flebiliter exclamant. At quo illi videntur pro me affligi potissimum, hoc ego vnice gloriol carceris scilicet, & fide pro qua pugno. Breui post reuocor ab Younge; quærit Topcliffus cur ad me venisset, verebatur enim pro innata sibi affabilitate ne barbarus ille fori familiaris, mecum egisset indignè ac rusticè; inde sua illa melliti sermonis dulcedine conatus est à me aliquid expiscari, de meis illis mihi singulariter intimis, at neque syllabam expressit. Hortatus est denique ad Cancellarium scriberem; ac scripsi quidem, sed in eam sententiam ex qua pro reo habitus sum, inflexæ obstinationis, & inter Catholicos communi bono, hæresi scilicet inimicissimus. Nunc ergo teneor secreta custodia, & solitaria, spe nulla solitudinis mitigandæ nisi si denuò, Portæ nouæ reis proximè sistendis, accensus educar, fidelitatis erga Deum, & religionem Catholicam reus.

Hæc ille parcius ad ea quæ annis triginta perpeffus est, nempe ad huius sæculi annum quartum, qui fuit illi carceris vltimus, extratque illorum diarius liber capitum quinquaginta. Aliàs enim in septa carceris probrosissima coniectus, vt sunt Londini Portæ nouæ, sentina omnium facinorosorum; cruciabilis simul, & probrosa, reis insignibus, hostibus publicis, perduellibus Regum, & istiusmodi portentis maioribus destinata. In illam ter Pondo intra Castellum Londinense reductus est, & septennio tentus. Expertus & subterranea, gelida, humida; expertus angustissima, & rima qualibet malignæ lucis carentia, similia sepulchris quàm ergastulis. Annos decem in Vjsbicensibus lautoniis marcuit,

loci

loci terribilis horrore formidandis; sed præstantium ingenti cruciatus, & habitatione consecratis quos hæretica barbaries in barathrum illud lacunosum mittebat fœtore paulatim & putredine absumendos; erant illa vetustissimi Palatii quæ carcerem faciunt rudera pridem ac penitus deferta nisi Elizabethæ Ministri pro sua clementia, ex obliuione illa refo-dissent, velut aptissima ad concinnandas aura pestilenti, & aquis iacentibus sanctiorum Catholicorum necesse, quos absque suo grandi dedecore, & iniustitiæ clara nota, necare ferro, aut laqueo non possent.



*Patientia Pondo singularis, disputatio cum hæret.
Damnatio iniusta pro tribunali Exedra stel-
lata.*

C A P V T XVI.

CARCERIS toties mutati varia, sed semper misera grauitate, Thomam Pondo vexabant indignius carcerarij curatores, quibus ad assuetam barbariem accedebat Puritanorum rabies, & Protestantium. Audebant scelesti confidenter, & laudi vertebant quicquid in viri nobilis contemptum, & Catholici nominatissimi tormentum agrestis impietas suggereret. Londino illum in castrum deportarunt Storfordienſe inier Essexij, & Hertfordij confinia medium, & subterranea arctatum custodia, omni mortalium allocutione, & aditu priuarunt, ne illos vt erat solitus ad sanitatem Catholici dogmatis reuocaret. Illic dum Faber aptandos cruribus producit compedes, demisit vir sanctus in eos multum, & pios illos osculo libauit: quod haud scio quo modo interpretatus Faber, elatam subscudem ferream in caput ipsius demisit, nec adeo leuiter quin sanguis ex vulnere repente flueret, eius aspectu nihil mutatus Pondo; ah! tam bona ex causa, inquit, hic mihi decurreret ex intimis præcordiorum venis cruor, quibus, & tam sedato ad tantam iniuriam animo prolatis Faber obstupuit, & interrogauit vnde illi tam certa Religionis veræ fiducia, quando tunc passim per Angliam Papista, ab reprobo, nihil diuersum sonaret. Eas illi Pondo edidit rationes, vt iis, & eius patientiæ insigni documento Catholicus fieret, eamque postea ob causam reus, sanctè in vinculis moreretur.

Ob hoc Reginae ministris fiebat intolerabile, non modo quod Pondo animum cruciatibus & dolore, non dicam domare, sed nec possent molire; verum etiam quod tormentis euaderet semper mente vegetior & fortitudinis suæ spectaculo, Protestantes quoque vehementer salubriterque commoueret.